



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Imago Primi Saecvli Societatis Iesv**

**Bolland, Johannes**

**Antverpiae, 1640**

Oratio Prima. De nomine Iesv.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

## EXERCITATIO ORATORIA.

## ORATIO PRIMA.

*De nomine IESV.*

IESVS nomen salutis est.

*Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Matth. I.*

VOTIES immortalem infantem, quoties mortalem Deum, Auditores, tacitâ mecum mente perpendo; toties suspensus ambigo, quid magis amplectar, aut prius admirer; blandam silentis Maieſtatis infantiam, an verendam vagientis infantia Maieſtatem. Hoc autem res illa hinc ſuauior eſt ad amorem, inde ſublimior ad ſtuporem, quòd exilitas iſta, & magnitudo illa, ita ſimul inter ſe pugnent, atque ita conueniant, vt illius demiffa benignitas nihil de huius præcellenti dignitate imminuere videatur. Inuoluuntur illa quidem, ſed ſuis adeò fiunt lucida inuolucris, vt in caducâ infirmitate ſtabilis virtus, in obſcurâ ignobilitate clara ſublimitas, in iacente ſubmiſſione erecta magnitudo, in neglectâ humanitate adoranda diuinitas eluceſcat. Ac proinde, niſi hæc ita ſuis latebris immerſa eſſent; profectò neque amor crederetur eſſe tam vehemens, neque tam potens eſſe maieſtas. Nam Deus brachiis prehendi, ſinu inuolui, oſculo contingi, ad aram ſiſti, cultro ſauciari non poſſet, niſi ſub carnis inuolucro lateret; & abdi non poſſet, niſi tanta eſſet eius potentia, quæ & optimo ſimul amoris obſecundaret imperio, & maximæ amanti non officeret dignitati. Igitur rem iſtam tam ſuauem, quàm miram, amor inuenit, poteſtas exſecuta eſt; vt, cum alia pleraque, quæ Dei ſunt, eius præſentiam manifeſtè declarent; hoc dulce prodigium, illum ipſum à quo manauit, poſſit abſcondere. Vnde rei attonitus nouitatè, cum Chryſo-  
Serm. 147.  
 logo iure mihi videor exclamare poſſe: *Quod natura non habet, uſus neſcit, ignorat ratio, mens non capit, pauet calum, ſuſpet terra, creatura miratur; quomodo ſermo enarrabit humanus? Quis attinget arcanum Dei, partum Virginis, rerum cauſas, ſæculorum negotium, commercium diuinitatis & carnis, hominem Deumque, unum Deum?* Quare de infante hoc Verbo quanam ego verba Orator infans pro dignitate proferte potero? Quamquam non eſt, quòd operoſius infantiam hîc purgem meam; ſiue quòd ſperem fore, vt is qui ſic amat abſcondi, dictionis meæ tenebras non reformidet: ſiue etiam quòd, quò minus eloquens vobis videbor, eò meliùs recèns natum infantem ſim omnibus expreſſurus. Quare omne illud amoris potentiaque miraculum, ceteraque auguſtiſſimarum argumenta rerum prudens volensque prætereo; ac duo dumtaxat  
 O de

*Duo tra-*  
*fundat:*  
*Primò lit-*  
*tere nomi-*  
*nis, Secun-*  
*dò signifi-*  
*catio.*  
Apocal. 2.  
Alcafar &  
Glossa.  
Lib. 1.  
Oracul.

Cæl. Rhod.  
lib. 2. c. 9.  
Gyrald.  
Hist. Deor.  
Syntag. 1.  
Pontus Thy-  
ardæus l. de  
Vniuers.  
Io. Eckius  
Homil. 3. de  
nom. IESV.

*Nomina*  
*Deum*  
*quatuor*  
*litteris ex-*  
*primientia.*

de puero velut puer tractabo. Primùm folius CHRISTO impositi nominis elementa dinumerabo: deinde eiusdem significationem breuiter inuestigabo.

Enimuerò ne in litteris colligendis nimius sim, missum facio Latini nominis quinarium, & in calculo nomen nouum scriptum quinque vulnerrum sculpturâ: omitto etiam cum Cumanâ Sibyllâ octo monadas, octo decadas, octo hecatontadas in Græco nomine obseruari. Solos enim Hebræos, quoniam puer Hebræus est, confulo; & cum illis in IESVAGH diuinitus indito nomine per Iod, Schin, Vau, Ghain fortunatum quaternarium numero. Neque verò in animum facilè inducam, sine mysterio quatuor litteris Deum-hominem nominari; quando intelligo celeberrimum Dei ipsius nomen, non tantùm Hebræis sacrarum rerum omnium promif-condis tetragrammaton esse, per Iod, He, Vau, He; verùm etiam audio à plerisque nationibus, non minùs diuino nutu, quàm occulto naturæ prodigio, Deum quatuor litteris pronuntiarum. Ecce tibi octies quater nomina Deum sic exprimentia gentes inter diuersas: in quibus recensendis consultò alphabeti seriem teneo.

Arabibus est	Alla.	Assyriis	Adad.
Antarcticis	Topa.	Ægyptiis	Toir.
Æthiopibus	Amlau.	Chaldeis	Eloa.
Croatiis	Doeg.	Dalmatis	Bogt.
Flandris	Godt.	Gallis	Dieu.
Germanis	Gott.	Græcis	Θεός.
Hebræis	Iehouah	ineffabile.	Adonai Dominus.
Hetruscis	Efar.	Hibernis	Dieh.
Hispanis	Dios.	Italibus	Idio.
Iaponibus	Ixin.	Indis	Zimi.
Ingenis	Odel.	Latinis	Deus.
Lusitanis	Deos.	Magis	Orse.
Perfis	Syre.	Polonis	Boog.
Peruanis	Iaie.	Saracenis	Abgd.
Syris	E'loa.	Turcis	Agdi.
Tyrrhenis	Efer.	Wallachis	Zenl.

*Vniuersa*  
*propè re-*  
*rum natu-*  
*ra quater-*  
*nario con-*  
*stat.*

Ecce omnia quatuor litterarum. Huc insuper accedit Deum omnia suo pondere, mensurâ numeroque molientem, non frustrâ illud perfectissimum nomen quaternario complexum esse; cum propemodum omnia, quæ ad vniuersam rerum conditarum naturam pertinent, quaternarius comprehendat. Nolo hîc meminisse cum Physicis omnem rerum causam, cum Musicis omnem concentum, cum Arithmeticis omnem numerum, cum Geometris omne corpus, cum Architectis arcam Noë templumq; Salomonis, cum Astrologis Zodiacum & cæli plagas, cum Archistrategis metationem castrorum Israël, cum Politicis veterum Imperiorum Monarchias, cum Theologis virtutes cardinales, quaternario contineri. In hominem vniuersi Principem oculos conijcio, cuius in primis Parens primus, Augustino, Cypriano, Bedâ notantibus, nomine suo tetragrammato Græcis litteris exarato, Orientem, Occidentem, Aquilonem, Meridiem expressit. Intuere nomen, & numerum: Α' δ' α' μ':

Augustin.  
Tract. 9. in  
Ioan.  
Cyprian. l. de  
Sion & Sinâ.  
Bedâ in Ioan.  
Tom. 5.

A, Avam-

A, Ἀνατολή, Δ, Δύσις, Α, Ἀπὸ τῆς, Μ, Μεσημβρία. hoc ipsum canente Sibyllâ: Lib. i. Orac.

— Qui nomine complet

*Ortumque, Occasumque, Austrum, Boreamque rigentem.*

Parum esset nomine, nisi reipsâ Adam ipse, omnisque posteritas, atque adeo omnis homo, quaternarium corpore animoque inuolueret. Si quidem ut humanus animus, Pythagorâ docente, rerum omnium quaternarium exhibet, per illud quod est, quod uiuit, quod sentit, quod intelligit: ita hominis corpus quatuor ingentia mundi membra, ignem pulmone, aërem carne, aquam cerebro, terram ossibus; ita quatuor principes qualitates, cholera, sanguine, phlegmate, atrâ bile; ita quaternas anni vices, quatuor ætatibus; ita quatuor mundi latera, quatuor suis, Orientem dextero, Occidentem læuo, Meridiem vertice, Aquilonem calce, Philosopho teste, complectitur. Adde, eiusdem hominis quatuor esse nouissima; eiusque æternitatem cubo, siue quadro, signari. Quem quidem Microcosmum dum isto numero refertum auditis, simul eodem quaternario Megalocosmum plenum esse conspiciatis. Quid deinde? Eia Societas IESV, quæ quadrilittero isto nomine insignita es, quæque annum quadragesimum sæculo recurrente iam colis; omnibus beneuolè annuentibus, tetragrammato isti nomini per quaternarios triumphum adorna. Sed quia tuus iste triumphator in Israël, modò pauper est; age quadrigam Ezechielis illi emendica. Profiliat itaque in arenam cum suo curru Cherubinus iste, cui nomen est quadruplex, & cuius singula animalia quadriformia. Substratâ ardenti purpurâ insitat mediæ quadrigæ Verbum infans, salutis tesseram prætendens crucem; in cuius quadro latere, nomen salutis Iod, Schin, Vau, Ghain gemmâ fulgurante sculpatur. Quadrigam præcant quatuor Angeli, qui congregaturi electos à quatuor ventis: lateri dextero assistant quatuor Euangelistæ; læuo quatuor celeberrimi Doctores: subsequantur quatuor notissimi Religiosorum Ordines. tuque his te adiunge quadrimembris Societas, cuius Socij singuli, ac præsertim quatuor vota Professi, illud tetragrammaton nomen expediti ferre per vniuersi quatuor latera: ponè subeant præfata illæ nuper gentes quaternæ & quaternæ. Agite nunc Angeli, & quatuor argenteis tubis ter quater intonate: *In nomine IESV omne genu flectatur, celestium, terrestrium & infernorum.* Igitur flexo in primis poplite, quatuor inferorum loca sese incuruent: tuque deinde cum quatuor tuis partibus, quatuor elementis, quatuor anni temporibus, quatuor ventis, quatuor rerum substantiis, vniuersa terra subside: tu denique inclinare superna ciuitas in quadro posita, ter quaternis nixa fundamentis, totidemque portis ad quatuor cæli climata patefactis. Prouoluantur isthic in genua è vigintiquatuor sedilibus, vigintiquatuor seniores inter quatuor animalia constituti: & ex illis centum quadragintaquatuor millibus signatorum, ex ter quaternis tribubus filiorum Israël triginta sex millia quaternariorum venerentur hoc nomen, & alternis inclament: *Dignus est Agnus* (& cum diuinissimo nomine) *dignus est IESVS, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

*Triumphus per quaternarios adornatus,*

יְשׁוּעַ

Philip. 2.

Apoc. 5.

*Nomina  
certas ob  
causas  
olim data*

*Romanis,*

*Græcis,*

*Hebrais.*

Vt autem puer esse pergam, qui felicia puero impositi nominis elementa sum nactus, modò eiusdem significationem perquiro. Olim solenne fuit Romanis, Græcis, Hebræis (vt alios complures omitam) non fortuitò, sed consultò, pro cuiusque vel publicâ dignitate, vel priuatâ integritate, aliâque de causâ nomen rebus accommodatum imponere. Ac primùm quidem Romani à victis gentibus domitisque Proinciis, ab Achaiâ, Africâ, Asiâ superatis; ab Allobrogibus, Balearibus, Callaicis subactis; à Geruliâ, Germaniâ, Macedoniâ subiugatis; Cæsares suos atque Victores Achaicos, Africanos, Asiaticos, Allobrogicos, Balearicos, Callaicos, Getulicos, Germanicos, Macedonicos nuncuparunt. Quòd si Græcorum lubet recordari; apud hos Artaxerxes à memoriâ Mnemon, Demetrius ab urbium expugnatione Poliorcetes, Damippus ab audaciâ Ceraunus, Dion Prusieus ab eloquentiâ Chrysoftomus, Pyrrhi proauus à robore Alcetes, Pyrrhus à belli nouitate Neoptolemus, Ptolemæus à beneficentiâ Evergetes, Phocion à probitate Chrestus, Seleucus à victoriâ Nicanor, plures denique ob alias rationes atque alias, sua nomina sunt auspicati. Quid iam de Hebræis? quid de sacris paginis? vbi quot nomina, tot vitæ argumenta; quot verba, tot propemodum notanda mysteria. Quid apud hos Adam? idem qui ex terrâ. quid Abraham? pater multitudinis. quid Isaac? risus. quid Iacob? supplantator. quid Esau? operans. quid Ioseph? augmentum. quid Benjamin? filius dexteræ. Sic Aaron, docens; Moyses, assumptus; Iosue, saluator; Saul, postulatus; Dauid, dilectus; ceterique innumeri, illud quod vitâ vel prodigio intus occultabant, nominis significatione foris prodiderunt. Ceterùm vt ex Latino, Græco, Hebræo fonte non temerè nomina dimanarunt; ita contendo, sacratissimum Seruatoris nomen, non nisi ab arcano consilio, atque altissimâ ratione suum omen inuenisse.

*Matth. x.*

*Refert Galatinus l. 3.  
Arcan. c. 13.*

Tu igitur age in primis Matthæe, tot sæculis expectatum, tot prodigiis præsignatum, tot imaginibus adumbratum, tot vaticiniis prædictum, tot votis expetitur, tot suspiriis exoptatum, tot denique lacrymis quæsitum nomen edisere. *Vocabis*, inquit, *nomen eius IESVM*. Quid ita? amabo te. Interpretationem nominis assecutus: *Ipse epim*, ait, *saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Vnde planè illis assentior, qui existimant hoc nomen ab Hebraico illo *Iesuagh*, id est à salute, deduci, vt qui salus exstitit omnium, etiam nomen ipsum salutis obtineat. Multò sanè illud ante *CHRISTI* tempora à Rabbi Haccados, atate Consulum Romanorum est assertum, qui Antonium Consulem his verbis affatur: *Quia Messias homines saluabit, vocabitur IESVAGH: gentes autem alterius nationis, que fidem eius sectabuntur, vocabunt eum IESVM. Propterea inuenies hoc nomen IESVS designatum in textu Genesis 49. v. 10. Veniat qui mittendus est & ipse. Si enim accipias in Hebræo primas litteras harum dictionum, consicies nomen IESV*. Hæc Rabbi Haccados, quem Iudæi Magistrum nostrum sanctum soliti sunt appellare. Eodem artificio vsa est Sibylla Erythræa, quæ circa annos Ezechie Regis floruit: illa enim de *CHRISTO* quædam carmina Græca contexuit, quorum (quod mirabile est) primæ litteræ vnde inchoantur, in normam acrostichidis

chidis conficiunt eiusmodi sententiam: *Ἰησοῦς Χριστός Θεὸς υἱὸς σαωτήρ*, id est, IESVS CHRISTVS *Dei Filius Saluator*. Vbi ingeniosè insuper suo more Augustinus aduertit, ex prioribus litteris eorundem verborum exsurgere verbum *ἰχθύς*, id est piscis. At enim quis ille piscis? Non alius sanè quàm qui procelloso mundi huius naufragantis Oceano natans, submerso humano generi, velut alteri Ionæ, fida statio & salus extitit. aut ille, qui amarissimo dolorum suorum felle, sub vnius Tobix typo, oculos omnium reclusit. aut ille denique, qui in craticulâ crucis tostus ac torridus, perditio orbi non tantùm pabulum, sed salutem vitamque suffecit. Maneat itaque fixum ratumque singulari mysterio, IESVM, IESVAGH, hoc est *salutem*, nominari. Sed quantæ, obsecro, aut admirationis, aut venerationis esset IESVM salutem nominari, nisi veritatem significationis istius profuso cruore firmasset? Perge igitur, & fusi cruoris elementa iam cense; & etymologiam indaga. Verùm ego ad solum istius aspectum sanguinis erubescō & attonitus hæreo:

*A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* nihil horum capio, nihil intelligo. Neque enim professus sum de atrocissimo isto spectaculo me loqui aut velle, aut posse; sed dumtaxat pueri instar, litterulas voluere, & quid sibi velit IESV nomen, inquirere. Abundè mihi est, vt acquiescam, hoc nomen inane non esse: *Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Totum hoc nomen, totus IESVS est noster. Accede eia mecum, quisquis es, & eminus vestigia illius venerare, Numen est: pedes osculare, Pontifex est: manus prehensa, Dominus est: collo incumbere, frater est: os distuina, sponsus est. Totus enim IESVS, ac totum nomen illius, nostrum est. Quid trepidas? Age postula, vt donum tibi offeretur: admitte, vt depositum tibi credetur: exige, tibi soluetur vt debitum: tolle, tibi cedit vt pignus: immola, tibi parebit vt victima. Ne morare, ne dubitare, caeleste hoc donum, immortale depositum, liberale debitum, securum pignus, nobilem victimam; fidens postula, fidelis admitte, constans exige, securus tolle, felix immola. Pergat interea vnusquisque nostrum, ingentibus animis, imitatione CHRISTI, Christiani nominis partes omnes ac numeros, pro suo quisque vitæ genere, probis moribus, atque omni exercitatione virtutis implere. Vos verò præ reliquis, Patres religiosi, quibus illud IESV nomen multò religiosissimum est, pergite non tantùm priuato animarum vestrarum emolumento salutique consulere; sed tetragrammaton illud nomen, eiusdemque vim, per terras & maria, per quatuor orbis plagas feliciter propagare. Nihil enim animi vestri vigor, diuinitusque concessa dona habent maius, quàm vt possint; nihil ardens voluntas, & incensa virtus habet melius, quàm vt velit prodesse quàm plurimis. Dixi.

Lib. 18. de  
Ciuit. c. 23.

Ierem. 1.

Math. 1.